

Sumuntur autem ex materiâ vel indeterminatâ, vel determinatâ.

Nam materia syllogismi consideratur duobus modis; vel generaliter, quatenus est indeterminata; vel specialiter, quatenus est determinata.

Ex materiâ indeterminatâ syllogismus est affirmatus vel negatus, & uterque vel communis vel proprius.

Intellige materiam syllogismi proximam, videlicet ipsa axioma, seu propositiones. Sicut enim affirmatio & negatio &c. in quodvis axioma cadunt: sic & in quemvis syllogismum. Omnino siquidem necessum est, ut in quolibet syllogismo conclusio vel affirmetur, vel negetur.

Syllogismus affirmatus est, qui ex conclusione & præmissis constat affirmatis. Syllogismus affirmatus.

Ratio hujus præcepti est evidens è superioribus, ubi diximus conclusionem esse effectum præmissarum. Nunquam igitur illa affirmationem induet, ut ita dicam, nisi propositio & assūmtio ambæ affirmatione vestiantur,

Negatus est, qui constat ex conclusione & altera utrâ antecedentis parte negatis. Syllogismus negatus.

Non enim syllogismus negatus perinde est negatus, uti affirmatus est affirmatus. In omni enim syllogismo oportet aliquam minimum esse propositionem affirmatam. Ratio: quia cujusque syllogismi principium, quo fundatur & extruitur, affirmationem alicujus propositionis postulat. Atque hoc est, quod suprà tradidimus, quod ex puris negativis nihil concludatur.

Cap. 16. Syllogismus communis & proprius.

OMNIS syllogismus est communis, vel proprius; uti diximus cap. præced.

Communis syllogismus est, cuius conclusio est communis.

Estque vel universalis, vel particularis.

Ecc;